DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ALORE NATURALI IN FEBRIBUS VEL AUCTO VEL IMMINUTO.

QUAM

PRO OBTINENDIS

UMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

CONSENSU AMPLISS. FACULT. MEDICÆ

IN ACADEMIA REG. GRYPHICA

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

OMINO ANDREA WESTPHAL

:Æ REGIÆ MAIESTATIS SUECICÆ ARCHIATRO MED. DOCT. ET PROF.

EG. ORDINAR. FACULT. MEDICÆ SENIORE ET AD H. A. DECANO

ACAD. CÆS. NAT. CURIOS. ET ELECT. MOGUNT. SCIENT.

UTIL. SODALI

BRABEUTA ET FAUTORE SUO

OMNI HONORIS CULTU SUSPICIENDO

IN PUBLICA PANEGYRI

cIↄ Iↄ CC LXXI. D. APRILIS

PUBLICO SUBMITTIT EXAMINI

AUCTOR

ANNES CHRISTOPH. ANDREAS MAYER

A. L. ET PHILOS. MAG. MEDIC. CAND.

GRYPHISWALDENSIS.

GRYPHISWALDIÆ

LITTERIS A. F. RÖSE

REG. ACAD. TYPOGR.

AUGUSTISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

GUSTAVO

ECORUM GOTHORRUM VANDALORUMQUE REGI

ETC. ETC. ETC.

NORWEGIÆ HÆREDI DUCI HOLSATIÆ

ETC. ETC.

EGI AC DOMINO SUO

CLEMENTISSIMO

PATRIÆ PATRI

TERARUM STATORI MUNIFICENTISSIMO

AUSPICIA NOVI IMPERII

DEVOTISSIMA GRATULATUS MENTE

HOC QUALECUNQUE SPECIMEN

D. D. D.

ſubjectiſſimus

JOH. CHRISTOPH. ANDR. MAYER.

DE

NATURALI CALORE IN FEBRIBUS VEL AUCTO VEL IMMINUTO.

---

§. I.

N*aturalem corporis humani calorem* in Febribus modo augeri modo imminui, quotidiana ſatis comprobat experientia; ſed quæ ſint hujus phœnomeni, ejusque viciſſitudinum cauſſæ, am facile patet: abeunt enim Viri doctiſſimi in diverſas ſenten- Dignum mihi viſum eſt hoc argumentum, in quo dilucide e- ndo, vires ingenii, utut exiguas, experiar. Non inutile eſſe exi- , priusquam ipſum aggrediar rei caput, non nihil de ratione in- andi calorem, de gradu caloris naturalis in corpore humano ſa- d quem ſcilicet augmenta, vel decrementa caloris referri debent, de variis hypotheſibus de cauſis caloris naturalis ſtrictim præfari, rationis normam expendere.

§. II.

Ad determinandos caloris gradus communiter adhibentur mometra, vel uti merito vocari debent Thermoſcopia: ſuper eſſet, & a ſcopo alienum, hujus inſtrumenti indolem, ejusque conſtructiones exponere, ſupponere enim mihi licebit hujus rei tiam in Medicinæ tironibus. Tantummodo monuiſſe ſufficit has machinas, quamvis non ad eum perfectionis gradum per ſint, ut ex aſcenſu vel deſcenſu liquoris, certa & juſta ad inten caloris valeat conſequentia, nihilominus tamen determinatos quo caloris gradus, eorumque viciſſitudines rite cognoſci poſſe. C Viri clariſſimi, qui inveſtigando caloris naturalis gradui operam derunt, præprimis *Thermometro Fahrenheitiano* & *Reaumurian* ſint, quæ ſcalarum ſuarum diviſione, & primo numerandi punct ferunt, non incongruum erit, hujus differentiæ rationem hic dar hoc ſpatium intra punctum congelationis, & efferveſcentiæ aquæ vialis contentum, dividitur in 80 partes æquales, qui gradus app ſolent (a), in illo autem in 180; conſtituto initio numerandi a cto congelationis in *Reaumuriano*, & 32 partes infra hoc pun in *Fahrenheitiano;* coincidunt itaque 32dus & 212mus *Fahrenh ni* cum 0 & 80mo *Reaumuriani,* & in genere 9 gradus *Fahrenh ni*, æquales 4 gradibus *Reaumurianis.* Qui obſervationes cum Thermometris inſtitutas, e. g. *De L'isliano*, *Hoffmanniano*, e. c. his comparare ſtudent, eos ad harmonicas Thermometrorum T las a Viris clariſſimis editas ablego, inter quas eminet quam *Rev. P. Hell* in Ephemer. Vin Iobon a. a. 1764. p. 243. ſq.

(a) ab initio *b. Reaumur* dividebat ſcalam ſuam modo in 80, modo gradus, ſed priorem tantummodo retinuit diviſionem, quæ adhuc in uſu

§.

§. III.

Variis experimentis conſtat, calorem naturalem corporis huma-
ni contineri intra 32 & 33 gradus Therm. *Raumur.* & *Fahren-
ni* 94-99, quum nempe Thermometrum ſub ala hominis po-
a ſit. Et hic gradus fere obtinet in quolibet atmoſpheræ calore,
a obſervationes docent, media æſtate in frigidiſſimis regionibus
ac calidiſſimis, a 64 gradibus Thermom. *Fahrenheit.* ad 126
us ejusdem adſcendere (b). Vel major itaque calor corporis hu-
i calore atmoſpheræ eſſe poteſt, vel minor; ex quo concludere
, ab atmoſpheræ calore neutiquam calorem pendere animalem.
homo vivus calorem atmoſpheræ usque ad 130 gradum Ther-
i. *Fahrenheit.*, vel 44 gradum Thermom. *Reaumur.* evectum
dum calor hominis vivi a 94 gradibus Thermom. *Fahrenh.* ad
- 110 in validiſſima Febre inflammatoria tantum adſcendit; ne-
videtur, corpus humanum majoris caloris gradus compos reddi
, durante vita (d).

) vid. *Haller* Elem. Phyſ. T. II. pag. 30.
Plancus Deſcr. Therm. Piſan. pag. 40. *Gmelin* Flora Sibir. Præfat. pag
LXXXI. *Springfeld* iter Carlbad. p. 262.
v. *Haller* l. c. p. 306.

§. IV.

Expoſito caloris naturalis corporis humani gradu, progredior
ad hypotheſium de cauſa caloris enumerationem. Ex omni
clariſſimi Doctores illam in *ſanguine* ſolum quærere non dubita-
, & quidem propterea, quoniam non ſolum artus frigent, ligata
ia (e), deficiente pulſu (f), & poſt ſanguinis evacuationem, ſed
a quod cadaveris *dorſus* aliquamdiu calidus remanet, dum ſan-

 guis

guis ad majora vaſa in dorſo ſponte dilabitur. Sed ſanguinem ſ ad producendum calorem haud ſufficere teſtantur Clariſſimi Viri de Haens Obſervationes de frigoris ſenſu interno, cum frigore mometrico & ſano pulſu conjuncto (g), nec non de calore op naturali in artu, deficiente pulſu (h). An nervi concurrant a nerandum calorem? quæ huic cogitationi locum dederunt amp narrabo, de febrili calore acturus; dubia adhucdum res eſt. Ce aliquid ſtatuere audacius foret; vetuſtiſſimam enim illam opinio tot tantisque viris comprobatam, non niſi illuſtriſſimorum viro iterata experimenta infringere poſſunt. Ponamus itaque, ſangu calorem generare, ſed videamus, quomodo eum producere valeat

(e) T. II. pag. 29.
(f) *Ant. de Haen* rat. med. T. III. p. 133.
(g) Idem T. III. p. 129. ſq.
(h) Id. ibid. pag. 134. ſq.

§. V.

Veteres Medici & Philoſophi, *calorem innatum* corpori eſſe cuerunt, cordi imprimis, eumque a corde ſanguini communi Hæc *Hipocratis, Aretæi, Ariſtotelis* & *Galeni* opinio (i) diu in rium tenuit, multosque habuit inter recentiores aſſeclas, *Conring Entium, Carteſium* aliosque, quorum alter calorem inſitum luce vitalem nuncupavit (k). In corde vivi animalis tantum calorem dam ſuppoſuerunt, ut ejus contactum nemo ferre poſſit; verum præoccupatæ opinioni omnem veri ſpeciem detraxerunt certiſſima perimenta, in vivis animalibus facta, ex quibus abunde patet: Cor magis tepuiſſe reliquis viſceribus, immo quandoque Thermom applicato, caloris gradum habuiſſe minorem, eo, quem idem,

ıalis admotum, indicaverat. Inſtitutum in ſele eſt tale experi-
tum ab Ill. *Hallero*, qui reperit in corde tantummodo calorem gradus Thermometri *Fahrenh.* cum huic quadrupedi competat mus gradus.

) *Hippocr.* Aph. 1. a. 14. 15. *Aretæus* curat. acut. II. c. 7. *Galen.* adv. Lycum c. 2. *Ariſtot.* Lib. de Generat. de Reſp. Meteorol. quarto.

) *Conringius* de calido innato c. 13. *Entius* Apolog. pro Circul. ſangu. p. 204. *Carteſius* de Homine p. 5.

) *Borellus* de motu animali Lib. II. c. 7. Prop. 96.

ı) v. *Haller* Elem. Phyſ. T. II. p. 35. 36. 291.

§. VI.

Alii poſtea, dum in Chymicis ſalium effervefcentiis calorem geri animadverterunt, ſimilem quoque *effervefcentiam* in corpore aali ut cauſam caloris agnoverunt. Primus fuit novæ hujus hypoeos conditor *Helmontius*, eumque clariſſimi Viri ſequuti ſunt, de a tamen effervefcentiæ diſſentientes. Alii veram effervefcantiam nguine adeſſe cenſuerunt, alii minorem ejus gradum, fermentaem ſcilicet: Effervefcentiam naſci vel ex acido chylo, & lym- cum urinoſis ſanguinis particulis (n), vel ex ſulphure & volatili uinis ſale, ut *Helmontius* (o), vel ex reſolutione particularum hurearum a particulis urinoſis, ut *Hambergerus* (p) alii aliique dount: ultimam opinionem experimentis demonſtrarunt in cadaves, & acervis fimi columbini ſponte incaleſcentibus, factis (q). Ve- cum amplior hujus ſententiæ expoſitio integrum laborem & pecu- requireret ſcribendi genus, contentus pro ſpeciminis academici litione ſtrictim ejus meminiſſe, unde ego harum rerum cupidos, ad *Haller* Elem. Phyſ. T. II. p. 188: Potius mearum erit partium

 enar-

enarrare quæ huic hypothesi contraria omne ejus videntur toller
bur.

(n) *Franc. Sylvius* Diss. VIII. n. 63. Diss. X. n. 54.

(o) *Joh. Baptista Helmont* in Sole Tabernaculo, p. 621. 622.

(p) *Hamberger* Phys. Med. p. 24.

(q) Philosoph. Transact. n. 296. Samml. aller Reisebeschr. T. XI. p

§. VII.

Quum sanguis neque cum acido effervescat, neque sapore
ditus sit urinoso, nulla exinde conclusio valet ad existentiam par
larum sanguinis urinosarum (r). Cum acidis mineralibus fort
bus sanguis quidem fervet, sed ea quoque cum aqua incalescunt,
leo mixta effervent (s), præterea animalia naturæ alcalinæ minim
caloris gradum possident, ut ranæ (t). Chylum sanguini admix
fervere extra corpus animale, nemo unquam vidit, in ipso au
corpore animali, hanc commixtionem absque ullo effervescenti
gno, Ill. *Hallerus* conspexit, & qui ab ipso adducitur, *Drelincourt*
In cadaveribus a putredine calor quidem nascitur, nec non in fi
humores vero quiescunt in ejusmodi corporibus, qui in vivo ani
maxima celeritate circumvehuntur, calor insuper testantibus obse
tionibus a putredine ortus, nunquam 75 gr. Therm. *Fahrenh.* a
git, qui 21 gr. a calore corporis humani distat. Denique urin
rum sanguinis humani particularum actio in sulfureas, absque gl
lorum insigni mutatione, & substantiæ suæ jactura concipi nequit, c
rum tamen constantem in omni animali vivo globosam figuram
tissima demonstrant experimenta. Quæ quum omnino sufficiant
Hypothesis, in præcedente paragrapho enarratæ, fundamenta per
eruenda, transeam ad alia.

(r) *I*

) *Boerhave* Elem. Chym. T. I. p. 348. n. 1.
) *Blancard.* de circul. ſangu. per fibras.
) v. *Haller* Elem. Phyſ. T. II. p. 292.
i) Idem l. c. p. 291.

§. VIII.

Nobilior usque ad noſtra tempora viguit ſententia de cauſa ca-
s, quam clariſſimi Viri, & ipſe *Boerhavius* in *motu ſanguinis* tam exiſtimarunt, ad vulgariſſimum provocantes experimen-, de caloris ortu ex corporum tritu, e. g. confrictis duobus lignis, ılis ferreis, ſilice cum chalybe; Concludunt, ſic calorem quoque nalem oriri ab attritu globulorum tum inter ſe, tum ad parietes rum, quæ non minus a velocitate ſanguinis, per corpus circum-quam ab alterna vaſorum proficiſcitur contractione, eamque augeri motum muſcularem, corporis vaſa anguſtantem, ex quo demum :ipi poſſit, cur in frigidiſſimis *Sibiriæ* & *Spitzbergæ* regionibus ines vivi atque calidi ſubſiſtere (y), immo in ipſis glaciei cam-balenæ vivere valeant, cruore calidiore præditæ, ac ſanguis huma-eſſe ſolet (z). Conſerre quoque multum ad caloris geneſin Ele-ta ferri, (*) in ſanguine latentia, id enim metallum maximi caloris x eſt, cum teritur. Augeri dein calorem corporis aucto ſanguinis u, minuto minui. Patere hoc ex eo, quod cum vel ab ingeſtis tuoſis, vel a motu, vel a Febre, pulſuum numerus increbuerit, quoque auctus ſit; quod animalia calidiora ſint, quibus ratione oris cor majus ineſt, e. gr. avibus (a). Inflammationes quoque demonſtrant, quoniam calor intenſior in parte inflammata ad-motum autem ſanguinis citatiorem, rubor, crebriorque pulſatio ıtur. Minui calorem, imminuto ſanguinis motu, mors mani-

feſtat,

festat, manifestant animi affectus, pulsum debilitantes, e. gr. n
(b) manifestant animalia, quæ cum motu sanguinis vix anim
tendo hyemem perdurant sopita, atque instar cadaverum rige
gr. hirundines (**), mures montani &c. (c). Neque minus
ditur calor animalis per omnia, quæ attritum globulorum a
qualia sunt, tunicæ vasorum robustiores, vasa copiæ sanguinis
ra, aliaque. Tam firmo fundamento hanc Thesin niti, ejus sec
res persuasi sunt, ut & legem quandam excogitaverint, ad quam
ris animalis ratio determinari queat. Asseruerunt, esse calore
ratione directa celeritatum sanguinis, & inversa diametrorum v
rum (d), aut ut cum Mathematicis loquar: dicantur C. c. celeri
A. a. Calores. D. d. Diametri vasorum: erit

$$A : a = Cd : cD$$

Rationi huic compositæ forsan membrum deficit, ratio nimirum
recta copiæ contenti ferri, quæ sit ut F. f: erit proportio

$$A : a = CdF : cDf.$$

Sufficiant hæc; jam progredi licebit ad objectiones, contra hanc T
sin directas.

(y) *Gmelini & Linschots* Itinera.

(z) Balenæ calor in cute 102 grad. Thermometr. Fahrenheit. vid. *Me*
Essays.

(*) v. *Haller* T. I. p. 296.

(a) Ibid. pag. 431.

(b) *Swenke* Hæmatologia Lib. VI. p. 431.

(**) Inficiuntur tamen hoc scriptores recentiores Transact. Philos. Vo
P. II. ad annum 1760.

(c) v. *Haller* Tom. II. p. 299.

(d) l. c. p. 300.

§. IX.

Negant adverſarii ex eo, quod duriſſima corpora tritu incaleſ-
t, juſtam valere conſequentiam ad corpus humanum, in quo ple-
ıe mollia ſunt, cujusque ſanguis aquoſo magna ex parte conſtat
nento, quod experientia teſte nunquam incaleſcit, quamvis tritum
atque celerrime moveatur, uti in rapidiſſimis cataractis, in quibus
ıuto temporis ſecundo 7 pedes & ultra percurrit (h). Provocant
Piſces & Amphibia, quorum ſanguis, quamvis moveatur & ad
ietes vaſorum teratur, nihilominus frigidus permanet, id quod
m in apicibus naſorum canum locum habet, qui ſemper frigent,
mſi omne animal exæſtuat; apicibus vero ineſſe vaſa ſanguifera,
ulnere patet. Legem quoque ſupra ſtabilitam minime obtinere,
exempla demonſtrant in quolibet febricitante obvia: attendenti e-
ı ad febrium ſymptomata, haud difficile erit obſervatu, ſæpius nu-
:um pulſuum ad duplum augeri intra minutum temporis primum,
ıuo caſu, calor febrilis, eſſet ad calorem naturalem ut 188:94 gr.
ermom. *Fahrenh.* cum tamen extremus caloris febrilis gradus, ter-
ıum 108 vel 110 graduum ſupra dicti Thermometri nunquam
eraſſe viſus ſit. In calidiſſimis regionibus calor animalis, ſi a ſan-
ıis motu unice penderet, intenſior foret ac in frigidis, contrarium
ım demonſtrant experimenta jam §. III. adlata. Conſtat etiam,
ırem corporis humani non ultra 110 gr. Therm. *Fahrenheit.* niſi
ı vitæ diſpendio extendi poſſe. Dantur adhuc aliæ adverſariorum
ctiones, quibus enumerandis eo facilius ſuperſedeo, cum ex mo-
dictis iam conſtet, ſententiam in præcedente §. expoſitam, non pro
ı abſolute ventilandam eſſe, quamvis omnino veriſimilis ſit.

(h) *Ant. de Ulloa* Voyage ou Perou.

§. X.

Aliam de *attritu* theoriam invenit *Rob. Douglas* (*), c
summa hæc est, teri globulos in vasis capillaribus, qui unicum
tum transmittere valent, quem propterea pro validissimo habet a
tu, quoniam ab aere frigidiore vasa magis contrahuntur. Al
Electrica proprietate sanguinis calorem oriri asseruerunt (i). Utr
que opinionem satis ingeniosam demonstrare, difficile admodum
gotium foret: repugnant enim argumenta multa atque ponder
Obstat illi, quod tantummodo tubuli capillares hactenus in ranis,
malibus frigidis, deprehensi sint; huic vero, quod eadem adsit m
ries electrica in animalibus frigidis ac calidis. Fuerunt quoque,
per sanguinis motum, multo majorem calorem ipso naturali procr
ri affirmant, in pulmone vero ab aere sanguinem refrigerari (k), q
vero, si aeris ambientis calor, calorem naturalem superat?

(*) *Essay* Concerning the generation of the heat in animals.
(i) v. *Haller* l. c. p. 305.
(k) l. c. p. 304.

§. XI.

Quæcunque habeatur *Boerhaviana* sententia, de caloris o
ex motu sanguinis eiusque attritu, maximam tamen inter omnes
narratas veri speciem præ se gerit. Non enim omnia contra ea
allatā argumenta omni exceptione majora sunt, e. gr. ab attritu aqu
aut calore corporis humani non ultra 110 gr. Therm. *Fahrenh.*
gendo petita (§. IX.). Attritus particularum sanguinis multo in
mior forsan est attritu particularum aquearum in cataracta, & a
dantur corpora non nisi certi cuiusdam caloris gradus capacia, e.
aqua quocunque ab igne non ultra 214 gr. Therm. *Fahrenh.* inca

t (l). Quæ autem a frigore piſcium, & apicum naſi in canibus :untur, irreſolubilia mihi videntur.

(f) v. *Haller* Elem. Phyſ. T. II. p. 306.

§. XII.

Generales caloris qualitates, quod nempe ſit fluidum ſubtiliſſi-ım, omniaque corpora in majus expandat volumen, in corpore a-nali quoque obtinent. Celerrime enim calorem per corpus dif-ıdi, demonſtrat ira, aliaque animi pathemata, quæ ſubitaneum ɔducunt calorem: expandi vero a calore corpus animale, patet ex .gariſſimis experientiis in annulis, aut veſtimentis, quæ ægre ſeſe rahi ſinunt in homine exæſtuante. Hæc de calore animali gene-im dicta ſufficiant. Propius jam ad ſuſceptum accedamus negotium, uirendo in ea, quæ de calore naturali in febribus vel aucto vel im-nuto hucusque innotuerunt.

§. XIII.

Calor vel auctus vel imminutus, ſymptomata ſunt fere in omni-; febribus animadvertenda, quanquam rariores dentur obſervatio-, ubi alterutrum defuit (*); Calorem imminutum *frigus* appel-;, uſu frequentius eſt. Augetur in tantum quandoque calor, ut ſen-ı maxime moleſtum producat, qui *æſtus* veteribus audit. Frigo-quoque conſtituerunt gradus. Leviſſima ejus ſpecies *perfrigerium* :a', leniſſima cutis contractione ſeſe prodit, & in incipiente ani-defectu in ægris valde debilibus, quum corpus erigere conantur, non in initio Febrium continuarum obvia eſt. *Horrorem* vel *rripilationem* alteram nuncupabant ſpeciem, diſtinguunt tamen inter Horrorem & Horripilationem, mediam hanc conſtituentes

 inter

inter Perfrigerium & Horrorem; ad hunc requiritur artuum trem
talis, quo homo rigens, in calidum denuo delatus hypocaustum
ficitur. *Rigorem* ultimam frigoris dicunt speciem, cum maxima
tuum concussione conjunctam, quæ in paroxysmis febrium intermi
tentium quartanarum frequentissima est. Hæc vero discrimina a
teribus usitata (m) fere obsoluerunt, non secus ac febrium denom
nationes ab his symptomatibus repetitæ, quas recensere nihilomi
operæ est pretium, quoniam multum confert ad intelligenda veter
scripta.

Dicebant nimirum *Febrem* επιαλαν, in qua cum calore n
admodum magno, frigoris sensus sæpe subrepit, ejusmodi febres e
demicas inter & Petechiales sæpius occurrunt.

Febris φρικωδης ab *Hippocrate* febris cum rigore appellata e
Galenus vero, eodem nomine semitertianam suam nuncupavit. *F*
brim λιπυριαν vocabant, in qua corpore ad contactum frigido, de
stu interno ægri conquerebantur; inter biliosas febres eam rett
Hippocrates (n). Febrem denique maximo cum æstu atque co
nuo conjunctam Καυσον nuncupabant, verum eodem hoc vocabu
aliter utebantur veteres, ac recentiorum quidam, qui omnium sy
ptomatum summum gradum in καυσο exposcunt, *Hippocrates* o
eum putabat ex bile in primis viis collecta, & sæpe spatio quatuor
cim dierum sanatum fuisse affirmat (o).

(*) de Febribus algidis, in quibus calor omnimode defuit vid. *Zacutam* L
sitanum Prax. adm. Lib. III. Observ. 19. Item: *Cartheuser* Funda
Path. & Therap.

(m) *Galenus* de cauf. symptom. Lib. II. Idem de Tremore, Frigore
c. V.

(n) *Hippocr.* Coac. no. 120.

(o) Epidemicor. L. I.

§. X

§. XIV.

Hæc licet ſymptomata ſatis frequentia ſint, tamen in diagnoſi
rum difficultas quædam ſeſe offerre videtur. *Boerhave* illuſtris ille
dicus, contactum non ſufficere perſvaſus, quoniam manibus me-
i non idem ſemper competat calor, Thermometri uſum medicis
debat, ad indaganda augmenta, vel decrementa caloris naturalis.
ituit ipſe circa calorem febrilem experimenta, ex quibus collegit,
conſueto calore febrili liquorum in Thermom. *Fahrenh.* ad 102, in
iculoſo vero, ad 120 gradus adſcendiſſe. Recte omnino ſeſe habet
riſſimi viri conſilium, ſufficit Thermometrum metiendo calore
rili, in metiendo autem frigore quam incongruum? quum in maxi-
frigore febrili vix differentiam a calore naturali denotabit. In
ſocomiis plerumque Thermometra adhibentur ad inveſtigandum
orem, et omnino uſus eorum ibi aptiſſimus. In privata autem
xi nec locus, nec temqus plerumque erit aplicando Thermome-
. Cum euim obſervatum ſit, per ſemihoræ ſpatium liquorem in
ermometro adſcendere, ad cutem ægrotantis in loco calido ſub ala
licato, requiritur omnino ut tam diu in hoc ſtatu cuſtodiatur. (p)
de vero hoc temporis diſpendium in medico multa praxi obruto,
tam conſtans in ægro patientia?

Accedit, medicum omnino ex contactu de calore ægri judicare
ſe, dummodo de ſuo ipſius calore certus ſit, idque in poteſtate illius
, unicuique, qui per aliquod tempus ægrotorum viſitavit lecta, cog-
um erit. Extant inſuper varia caloris criteria, quibus cum contactu
latis, diagnoſis facillima evadit. Rubor faciei intenſior ſignum
næ indolis caloris eſt, teſtatur enim calor cum pallido vultu con-
ctus de colluvie bilioſa primarum viarum. Plerumque etiam in

 calore

calore respiratio citatior adest, nec non urina rubicunda, pene[illegible] enim in tubulos urinophoros calore expansos globuli rubri sangui[illegible] Non tamen semper hoc caloris signum in urina adest; in febr[illegible] cum affectibus spasmodicis conjunctis, urina pallescit; sunt quo[illegible] casus, ubi urinam rubram absque calore offendimus, rubra e[illegible] ictero, rubedo autem in pallidum vergit colorem. Sæpe quoqu[illegible] intensitate rubedinis urinæ, ad caloris magnitudinem concludere l[illegible] sæpe non: posterioris asserti exempla in hecticis et plethoricis v[illegible]mus. Conjuncta est sæpius cum calore sitis, cum arida lingua, [illegible] quandoque etiam in frigore observantur; anxietates non infrequ[illegible]tes superveniunt, et finito calore plerumque insequitur sudor. C[illegible]bus signis collatis, calor etiam sine Thermometro facilis est dijudica[illegible] etiamsi ad ægri sensum non attendis, qui, dum de graviori quævitur c[illegible]ciatu, maximarum molestiarum enarratione sæpius medici tantum m[illegible]ricordiam movere cupit. Frigus multo difficilius agnoscitur, null[illegible] constans adest signum, præter sensationem ægri, cui quandoque solu[illegible]modo fidendum est, dum reliquum corpus solite calet, ut in ini[illegible] febrium continuarum, et exacerbationum febrium remittentium. [illegible] aliis ex contactu et pallido vultu frigus conjicere licet, cum insu[illegible] papillæ cutaneae, instar cutis anserinæ erigantur. In maximo rig[illegible] sensationi fere intolerabili validissimæ artuum concussiones accedu[illegible] quæ in febribus intermittentibus quartanis plerumque observatæ su[illegible] quanquam extant exempla cum molestissimo frigoris sensu in quar[illegible]nis calorem naturalem contactu observabilem conjunctum fuis[illegible] Hæc sunt quorum ratio in agnoscendo calore et frigore habenda e[illegible] et in quæ, si attentos Medicus animi corporisque direxerit oculos, [illegible]roneum nunquam laturus erit judicium.

(p) *de Haen* ratio medend. p. III. c. 3.

§. XV.

Caloris nec non frigoris duæ in febribus obſervantur ſpecies, *uni-ſalis* et *ſpecialis* ſive *particularis*; Illa totum occupat corpus hu-num, hæc vero tantummodo in quasdam ſævit partes. Utramque ciem a diverſis pendere cauſis, ratiocinia demonſtrant hujusmodi ntomatum innixa curis, vel uti vocant, a poſteriore deducta. Sed usquam ea pertractemus, videamus, quid in omnibus ſymtomata calo- et frigoris producere valet, aut, quod idem eſt, quæ horum ſymto-tum cauſa ſit primaria, ſcopulum illum, ad quem accutiſſima allide-t mortalium ingenia. Quibuscunque autem tenebris hæc obruta at quæſtio, non injucundum erit conanimum meminiſſe, harum etrandarum cauſa factorum.

§. XVI.

Me non monente, quilibet haud difficulter jam cognoscet, quam iculi plena res ſit determinatio cauſſæ caloris febrilis, cum de cauſſa ıralis nondum plane conſtet, cujus tamen augmento calor febrilis n debet geneſin atque intenſitatem. Superſedeamus Hypotheſi efferveſcentia, per ea, quæ de origine caloris naturalis dicta ſunt, ar-nentis ſat validis, uti mihi quidem videtur, deſtructæ; atque ad n *Boerhavianam* nos accingamus de generatione caloris ex attritu guinis. Augetur in Febribus circulatio ſanguinis, augetur quoque r, nihil itaque veri ſpeciem magis præ ſe ferre videtur, ac ſententia, d febrilis oriatur calor ab aucto attritu particularum ſanguinis. m vero ad febrium decurſum, et ad earum curam attendamus, pa-eſt, a medicamentis imminui calorem, etiamſi ad diminuendam ritatem pulſuum nihil valeant. Hanc obſervationem nemo infi-

ciari

ciari poteſt; verum ne idcirco penitus corruat ſententia, aſſumſe poſſe a medicamentis minui attritum particularum, quamvis non creſcat pulſuum numerus. Eſt autem extra omnem dubitationis am poſitum, minuta copia ſanguinis, attritum minui: quot extant exempla, medico practico cuicunque obvia, venæ ſectione miniſtrata, calorem febrilem lenitum non fuiſſe? Quid aliud ſequitur, quam quod attritui calor non debeat tribui; ſuperacc obſervatio maximi momenti, medico in curandis febribus nec in quens, nec factu difficilis, in qua ſcilicet calorem febrilem, ab ex antis hominis calore per radios ſolares æſtivos producto, ſine diſtinguit difficultate; quod ſane luculentum eſt indicium, præ pulſum auctum, aliud quid in febrili adeſſe calore. Forſan in eo la cauſſa illius intolerabilioris caloris ſenſus, de quo ægri conqueri ſole cujusque tanta eſt ab eo, quem Thermometra oſtendunt differen A putredine calorem produci poſſe patet ex eo, quod calor febrilis medicamenta antiputridinoſa imminuatur, (q) fallimur autem, ſi p tredinem pro univerſali reputemus caloris febrilis cauſſa, deficit en non ſolum ſæpe calor cum indubiis putredinis ſignis, immo requir tur quandoque medicamenta excitantia, ut calor exoriatur. Q niam vero calor a medicamentis excitantibus generari poteſt, ner rum id negotium eſſe videtur, hi enim ſunt, in quos agunt. Hy theſin de origine caloris ex activitate ſyſtematis nervei in humores culantes, variis confirmatam videmus obſervationibus: Attendan modo ad phænomena Phreneticorum & Hyſtericorum, rapidiſſi caloris & frigoris viciſſitudines ſæ conſpiciendas præbebunt, quæ non cto pulſu, non aucto itaque attritu, mutuo ſibi ſuccedunt; Cui

e tribuas hanc vim talia producentem symptomata? nisi Nervis. s in inflammationibus, quæ in suppurationem abeunt, generatum, rvorum substantiæ æque ac crustæ inflammatoriæ sanguinis admo- m simile, hanc conjecturam confirmare videtur, uti censuit Cla- . *de Haen* (r). Pertinet huc etiam observatio supra allata, de sen- nempe ægri, calori a Thermometris monstrato minime interdum portionali. Quæ nunc superest via hujus Phœnomeni rationem ldendi, nisi nervis, sensationum nostrarum organis, aliquid tribuamus calore febrili? Utrum vero sufficiant observationes allatæ ad stabili- dam hanc sententiam, exactiori doctiorum relinquo examini.

Frigus febrile nervis deberi, pro comperto mihi videtur, ab im- nuto attritu deduxerunt illi frigus, qui ex aucto derivabant calo- n. Verum, qui febrium decursui semel attenderit, facile convi- ıs erit de vacillante huius opinionis fundamento; Pulsum enim ma- um in frigore, celerrimumque, immo celeriorem, ac in ipso offen- t calore. In Phrenitide, Passione Hysterica, generatim omnibus morbis, in quibus systema nervosum turbatum est, frequentissi- um est symptoma, Frigus. Idem exoritur quoque ante, & duran- ıs hæmorrhagiis, ante partum, in doloribus ex calculi affectioni- s, atque insurgente maiore animi affectu, e. g. terrore, anxietate, ., Certe nisi in nervis huius phænomeni caussam quæramus, nul- n inveniemus. Cui denique tribuendæ essent in febrium intermit- ıtium quartanarum rigore validissimæ illæ artuum concussiones, asmodicis contractionibus adeo similes? Sed hanc quoque de ori- ne frigoris sententiam submitto eorum iudicio, quorum submissa t prior de origine caloris. Certiorum potius mentionem nunc fa- ciam

ciam observationum de causis caloris & frigoris, quibus detegen[illegible] febrium curatio locum dedit.

(q) *Sydenham.* Edit. Lugd. Bat. 1754. pag. 391. 392-396. varia hujusm[illegible] attulit Experimenta.

(r) *Ant. de Haen* Rat. med. Part. III. C. III.

§. XVII.

Omnibus observatio nota est, calorem febrilem interdum le[illegible]ri, administrata venæsectione, præcipue in febribus inflammator[illegible] simplicibus; Non incongrue inde ratiocinari licet, *Plethoram* fuis[illegible] causam aucti caloris febrilis. Non autem requiritur, ut hæc ea [illegible] *Plethora, vera* sic dicta, quæ ab abundantia cruoris hocce nome[illegible] obtinuit, sed etiam ea, quæ *apparens* aut *Plethora ex turgescentia* v[illegible]catur. Non abundat in hac sanguinis copia, sed in maius volum[illegible] tantummodo ab admixtis particulis hæterogeneis expanditur, ita [illegible] omnia ostendat Plethoræ veræ signa. Turgent scilicet venæ, rub[illegible] per faciem diffunditur, pulsusque adest magnus, atque tactu duru[illegible] Quamquam ab instituto alienum videretur, multa de Turgescentiæ sp[illegible]ciebus in medium proferre, tamen non iniucundum erit, earum h[illegible] mentionem facere, quoniam ex distincta earum evolutione, multu[illegible] lucis affulgebit curationi caloris, infra exponendæ. Dantur quatuo[illegible] eius species. *Turgescentia inflammatoria* ea est, in qua crusta, e[illegible]dem vocabulo nominata, Diathesin inflammatoriam prodit; validu[illegible] imprimis annotarunt Medici in morbis inflammatoriis calorem, se[illegible] quid efficax in eo sit, & quæ crustam constituant, nondum fortun[illegible] propitia detectum, latet, nisi suspicioni jam allatæ Clariss. *de Hae[illegible]* assentiri velimus, Materiam crustæ a nervis deducentis. Alter[illegible]

Tur[illegible]

urgeſcentiæ ſpecies Bili debetur, *Belioſa* idcirco dicta; ſæ-
us cum priori coniungitur, tunc *Bilioſa* audit *inflammatoria*,
ateria cruſtæ ſanguinis in flavum vergente colorem. Sæpius quo-
ıe, Bile jam putrefacta, cum ſpecie inſequente connectitur, & tunc
ilioſa putrida vocatur, de qua eleganter non minus quam ſolide
;it Celeb. *Tiſſot* (s). Tertia ſpecies *Turgeſcentiæ* eſt *putrida*, o-
ginem ducit a particulis putridis, per humorum circulantium maſ-
m diffuſis, rubore atque tenuitate ſanguinis ſeſe imprimis manife-
ıt; e vena exſiliens ſanguis optimum quidem præ ſe fert colorem,
r aliquod autem tempus quietus, omnis apparet aquoſus, & ne vix
ſulam ſeponere ſinit. *Sydenham* peracute in hanc Turgeſcentiam
ommentatus eſt. Ultima denique *Turgeſcentia* a ſyſtemate nervoſo
ndens, ideoque *nervoſa* dicta, in illis febribus præcipue obtinet, qui-
ıs nervoſarum febrium nomen a Medicis inditum eſt; Plethoram
fectat ſanguis, quamvis nec cruoris copia, nec ulla adſit alia cauſa-
m iam enumeratarum, quæ alias Turgeſcentiam producere valent.
æterea quoque affectus nervoſi, qui in hac frequentiſſimi obveni-
ıt, efficaciam nervorum in hoc morborum genere demonſtrant.
iſerte hanc rem diſceptatam invenimus in Opp. Medicor. Anglorum
ringly, *Withringhami*, *Homii*, præcipue vero in ſcriptis Celeb.
uxhamii, & *Actis Medicor. Edimburgenſium*, T. IV. p. 453.

(s) *Tiſſot* de Febr. bilioſ. Lauſanenſ.

§. XVIII.

Altera caloris cauſa per curationes indagata, *colluvies* eſt *vitioſa pri-
arum viarum*, quæ ex nauſea, & vomitu in Febribus ſæpe obvio, ut
anxietatibus præcordiorum inprimis cognoſcitur, cujusque omnia mi-

 nuun-

nuuntur ſymptomata una cum calore, adhibitis medicamentis vom-riis, & laxantibus. Alia obſervatio non infrequens idem probarc detur; Si enim magno urgente æſtu, quando Plethoræ ſuſpicio eſt, venæſectio inſtituitur, ſæpiſſime non minuitur calor, potius n ſea atque vomitus oriuntur, finitis autem vomitionibus, calor mi tur, quamvis materies expulſa, nil niſi pituitam quandoque oſten In Febribus inflammatoriis quoque, in quibus aperta colluviei bili primarum viarum ſigna ſeſe produnt, inſimulque æſtum ingentem gri patiuntur, hic minuitur aſſumto vomitorio, aut ſenſim ſenſimq Ingeſtis medicamentis purgantibus. Quamvis majorem adhuc æſtu in illis febribus offendamus, in quibus ſtatus putridus in primis v eſt, nihilominus tamen lenior evadit, poſt evacuantia primarum v rum. Frequens eſt talis earum conditio in Febribus Epidemic Tertiam caloris cauſam, merito habere licet *putridam Diatheſin h morum circulantium*; Ingens inde generatur calor, ut æger manib tactus, ingratum per eas diffundat ſenſum, teſtante jam *Galen* Præcipue ejusmodi calorem offendimus in Febribus continuis puti dis, a veteribus Synochæ putridæ, a recentioribus, præſertim Angl malignæ dictæ; Minuitur iſte calor medicamentis antiputredinoſi febres vero ipſæ facile in epidemicam vergunt conditionem, pete chiæ illis quoque frequenter accedunt. Ingens adeſt calor, a quacu que demum humorum circulantium putredo pendeat cauſa; ſive pure reſorbto, ſive a vermibus putrefactis, ſive a Gangrena cuiusdam partis, ſive denique a putrido primarum viarum ſtatu ſit producta Poteſt attamen iuſto inferior adeſſe caloris gradus, etiamſi putre do circulantes invaſerit humores, cum nempe viribus fere defici

entibu

tibus frequentiſſimi obveniant animi defectus; Accedere itaque ſor-
ſe debet virium vitalium perſeverantia, ut putridus humorum ſta-
; calorem in vivo producere valeat. In cadaveribus autem eorum,
i Febribus vel Dyſenteriis putridis confecti, obierunt, a ſola putre-
ıe per aliquot poſt mortem dies naturalem conſervatum fuiſſe ca-
:em, diu experientia docuit. Maximus omnium calor eſt, in va-
ılarum putridarum decurſu. Oritur fortaſſe a reſorbto Variolarum
re, augmentum tamen inſuper accipit a colluvie bilioſa primarum
arum.

Quartam caloris cauſſam in *perturbatione ſyſtematis nervoſi* quæ-
'e fas eſt, quandoquidem cum præſente calore nulla earum cauſſarum
ıiuncta eſt, de quibus conſtat eum produci poſſe; nec incongruum id
ıſendum erit, ſedantibus enim medicamentis eiusmodi calor mi-
itur. Multa huius rei proſtant exempla, e. gr. Oritur calor a leniſſi-
ı animi affectione in Hyſtericis, et Hypochondriacis, quem, tan-
am inſultum ſpasmodicum Nervis adſcribere debemus; minuitur
m a medicamentis antiſpasmodicis, a Caſtoreo, Laudano &c.: Me-
amenta hæc calefacientia neceſſario hic antiſpasmodica pollent vir-
e. Iisdem medicamentis leniuntur quoque dolores urentes, qui-
; Hyſtericæ in regione dorſi afficiuntur. Augetur calor in febribus
ıtinuis deſperatis, ſi accedunt ſymtomata nervoſa. Infantes, dum
ıvulſionibus afficiuntur, primum æſtuare, vetus *Hipocratis* eſt Obſer-
io. Aliam, quæ multum ad hanc cauſam illuſtrandam confert, hic
ucere idoneum puto. Accepi illam ex ore Viri Ill. R. Britt. Maj.
:hiatri *Scroederi*, quem inter decora ſu tam litteratus orbis, quam

 Georgia

Georgia Augusta iamdiu retulerunt, æternumque ſuſpicient, Fautori- que Præceptoris mei ad cineres usque devenerandi. Vidit Vir cel- ægrum febre continua laborantem, atque ſopore oppreſſum, de henditque in illo pulſum magnum, atque frequentem; adhibita ve ſectione ſubſidebat pulſus, et maximus exoriebatur calor, cum v ad præſcriptorum medicamentorum ſedantium aſſumtionem æger nu pacto ſe perduci paſſus ſit, convulſionibus correptus, diem obiit ſup mum. *Inflammatoria ſanguinis Diatheſis* quinta eſt caloris cau minuunt enim illum venæ ſectiones, et medicamenta ſic dicta an phlogiſtica, acida vegetabilia, Nitrum, Camphora, reliqua, quoru efficacia in inflammatoriam ſanguinis Diatheſin jam diu ſatis ſuperq cognita eſt.

§. XIX.

Sexta caloris cauſſa conſiſtit in *robore partium ſolidarum, cu maiore earum irritabilitate coniuncto.* Ab hoc robore produci pot calorem febrilem, pediluvia, cliſmata, potus tepidi, emplaſtra ali que demonſtrant medicamenta emollientia, utpote quæ calorem infri gunt; Neceſſe autem eſſe, ut irritabilitas robori inſuper accedat, teſt tur conditio ætatis ſenilis, febribus minus apta, cui robur denega iniquum foret, quamvis de minore conſtet irritabilitate. *Denſit ſanguinis* cum robore plerumque conjuncta, inter caloris cauſſas mer to refertur, earumque ſeptimam conſtituit; A potu enim copioſio aliisque medicamentis, quæ majorem ſanguini tenuitatem reconci ant, ſæpiſſime lenitur calor febrilis. De *inflammationibus* quoqu certiſſime conſtat, calorem febrilem ab iis produci poſſe; Febres eni eximio calore præditæ, haud raro externis ſuperaccedunt inflammati

nibu

ous, cum internis autem ſemper ſere conjunguntur. Imminuta
lammatione, minuitur præſertim calor Febris inſlammatoriæ,
olata autem inflammatione, mox Febris ipſa tollitur; Aequum
que duxi octavum illis inter caloris febrilis cauſſas aſſi-
are locum; Nonam in *Alvi obſtructione* collocare licebit,
qua, licet inter gravioris caloris cauſſas non pertineat, tamen acce-
nte bilis copia in primis viis, maximum produci calorem, conſtat:
vatur facillime eiusmodi calor per clysmata emollientia, quæ ideo
ydenhamo inter medicamenta reputantur, moderando febrili ca-
i maxime idonea. Quoniam ope medicamentorum diaphoreticorum
or febrilis quandoque ſubſidet, decimam licet dicere cauſſam, *impe-*
ionem progreſſus humorum per vaſa minora. Patet inde, quare me-
amenta circulationem incitantia refrigerante polleant virtute; Red-
nt enim liberiorem in vaſis minoribus circulationem, cavendo ſimul
obſtructionibus et inflammationibus. Recondita eſt undecima ca-
s cauſſa in *coctione materiæ febrilis.* Frequens eſt in decurſu Febri-
obſervatio, calorem adveniente criſi ſalutari augeri, in ipſa vero
i dein minui. In Febribus exanthematicis hæc præcipue anim-
erſa ſunt, in eo ſcilicet morbi ſtadio, in quo exanthemata incipi-
efflorescere. A *Criſi* etiam, ob quamcunque cauſam turbata,
etur calor, eumque propterea merito inter maxima numerant per-
ationis criticæ ſigna, quæ ipſa ultima eſt cauſſarum, quæ tum ca-
m producere, tum adaugere valent febrilem, et in ipſo latent cor-
e humano. Plures adhuc adeſſe cauſſas externas, a quibus calor fe-
s augeri poteſt, exinde patet, quod et in ſano homine maiorem
ducant calorem. Præcipuæ ſunt, Regimen calidius, (t) Diæta

per-

perversa ex assumtis alimentis calefacientibus, c. gr. carnibus duri concoctionis, vel earum jusculis, potibus spirituosis, aliisque. I denique pertinet nimius medicamentorum calefacientium usus. M ni est momenti, sedulo et in has inquirere causas, cum facillime Diat sis exoriatur inde inflammatoria, vel putrida.

(t) Eleganter egit de Regimine calido *Sydenham* T. I. p. 201. sqq. pert tando Curationem variolarum; et *de Haen* T. I. p. 26. sqq. ut et *R terus* in Dissert. de frigoris in Medicina usu.

§. XX.

Expositis caussis caloris febrilis a posteriori detectis, pergam ad illas, a quibus præter affectus spasmodicos, ex systemate nerv perturbato ortos, (per §. XVI.) Frigus produci posse, Febrium cursus nos docuit. Frequentissima earum est *defectus humorum*, pius tale Frigus occurrit in decursu Febrium putridarum, & ner sarum lentarum; Verum & extra Febres sese manifestat, quum a mi defectus vel re vera exoriantur, vel tantum eos vereamur. Ven sectionem nimiam, medicamenta purgantia aut sudorifera, hæmorr gias spontaneas nimias, aliasque ejusmodi inanitiones, tale insequi let frigus. Altera caussa consistit in *Cacochymia serosa acescente*, *pituitosa;* propterea sæpius in febribus nervosis, & quotidianis int mittentibus, in quibus frigus adest, etiam cacochymiam modo dict offendimus. *Congestionem ad cerebrum*, & *Metastasin ad ner* tertiam merito reputamus frigoris caussam; Debilitatem enim prod cunt cum frigore conjunctam, aut statum Paralysi proximum, co gestione autem aucta, ipsam Paralysin, quam cum frigoris sensu se per conjunctam esse, continua docet Experientia (u). In Febri denique adhuc observamus frigoris insultum, cum simplex abit

plicatam, v. gr. si ad febrem inflammatoriam uterinam inflam-
o pectoris, aut eadem ad purpuram accedit. Persrigerium quo-
occurrit in Febribus, cum inflammatione partium internarum
inctis, in stadio earum suppuratorio.

(u) *Home* Medec. Essays.

§. XXI.

Particulares æstus non solum in febribus occurrunt, sed etiam
illas. In Catarrhis violentis, a cruditatibus ventriculi sæpissi-
ngens oritur capitis æstus, reliquo corpore vix præter naturam
te. Frequentissimi omnium oriuntur æstus particulares capitis,
is frequentes sunt in Hypochondriis, quamvis etiam in illis oc-
nt; mentionem igitur semper facit æstus præcordiorum *Hippo-*
r, cum aliis prisci ævi medicis, eumque inter symptomata re-
t, in febribus difficilioris curationis ubivis obvia. Rariores sunt
particulares, qui in aliis deprehendi possunt corporis humani
ous. Æstus particulares in febribus oriri solent variis a caussis,
im princeps in *Inflammationibus* latere videtur. Animadverti-
in illis plerumque dolorem urentem in loco affecto, ut in pleu-
, inflammatione diaphragmatis, & uteri, in rheumatismo in-
iatorio, in aliis, e. gr. in inflammatione pulmonum ardor est abs-
olore, in aliis denique interdum est ardor vel cum, vel sine dolo-
in hepathide, angina, inflammatione ventriculi atque intestino-
Calor in inflammationibus fere semper sentitur in loco affecto,
quam rariores extent de inflammatione faucium & intestinorum
ationes, in quibus defuit. Quo violentior est inflammatio, &

 quo

quo latius ea ſe diffundit, eo fortior quoque oritur calor. *Cong*
nes ſanguinis ad caput, a quacunque demum pendeant cauſſa,
in eodem particularem producunt. Ultimam æſtus particularis
ſam in febribus conſtituunt *humores acres ſtagnantes*, a quibu
tes ſolidæ irritantur. Sordes bilioſas in primis viis collectas
præcordiorum generare, obſervatio frequentiſſima eſt, præſertim
cedente viſceris cujusdam hypochondriaci inflammatione. P
pectore collectum ingentem quoque excitare ſolet æſtum.

§. XXII.

Frigus particulare frequentiſſimum offendimus in extre
tibus præcipue inferioribus, rigent inſtar glaciei, quanquam ma
adſit pulſus, facies intenſe rubeat, atque in omnibus reliquis co
ris partibus naturalis deprehendatur calor. In aliis membris f
particulare quoque obſervatum eſt, nunquam vero ille rigor, q
in extremitatibus aliquando animadvertere licet. In ſecunda F
varioloſi cujusdam extremitates & caput rigentes ipſe vidi, eti
ſimul æſtus in pectore adſuerit. Frequentiſſima frigoris partic
cauſſa eſt *affectio ſpasmodica*, quæ in illam tantummodo partem
frigore affectam. Oritur forſan, ſi eam pro vera reputemus H
theſin de ortu Caloris & Frigoris ex influxu ſyſtematis nervei in
guinem, ex defectu affluxus liquidi nervei. Alteram frigoris
ticularis cauſſam quærendam eſſe in *defectu affluentis cruoris*,
tra omnem poſitum eſt dubitationem. Frigus quod exinde in
tibus a corde remotioribus plerumque oritur, inter peſſima
iure recenſeri debet ſigna, quoniam de virium vitalium inopi
ſtatur; ad ſitum ægri vero ſimul attendere debet medicus, p

ı ab eo impediri affluxus ſanguinis, quale eſt e. gr. frigus in ma- cum æger brachiis ſupra caput poſitis decubuerit. *Virium* de- e *vitalium oppreſſionem* frigus producere particulare, inde certo :t, quod huic negotio virium vitalium inopia par ſit. Oppreſ- irium vitalium originem ſuam ducit a congeſtione ad cerebrum, metaſtaſi ad nervos, cauſis illis frigoris univerſalis §. XX. alla- patet itaque etiam frigus particulare ab iisdem produci poſſe. In ıiplegia præſens ejusmodi frigus eſt in latere affecto.

§. XXIII.

Abſoluta evolutione cauſſarum frigoris & caloris univerſalis : ac particularis, in febrtum decurſu obviarum, *Prognoſin* horum ɔtomatum eo tutius formare poſſumus, quo certior omnis mor- ın Prognoſis ab eorum cauſſis eſt deducenda. A generalioribus ɔecialioria pergendo, ſtatim concludere licebit, melioris eſſe in- calorem & frigus univerſale, quam particulare, gignitur enim non niſi ex gravioribus cauſſis. Frigus inſequenti calori propor- ıtum inter optima referri poteſt ſigna ; vigore enim maxime a vicem diſcrepant hæc ſymptomata, cum a gravioribus pendent ïs. Juvat iam eorum differentiam in omnibus Febrium generi- :volvere. In *Febribus inflammatoriis ſimplicibus* validum ad- :igus, validusque calor. In *Febribus nervoſis* frigus fortiſſimum exiguo calore, qualis etiam eſt conditio *putridarum*, his autem entibus, calor ad maximum adaugetur gradum. In *bilioſis* deni- plerumque calorem offendimus, frigori proportionatum. Con- :re inde licet, æſtum ex Plethora vel Diatheſi inflammatoria opti- eſſe indolis, nec ab æſtu ex impuritatibus bilioſis primarum via-

rum orto, dummodo congrua & convenientia præfcribuntu dicamenta, perniciem effe extimefcendam; æftus vero, ex put humorum ortus, eam fecum fert, immo maximam, fi provenit e turbatione fyftematis nervofi. Præftat frigus vigentibus adhuc bus vitalibus frigore, cum earum defectu coniuncto; prius enim fa gaudet mitiore, pofterius minatur periculum; in fenibus & hominibus cachecticis validum frigus febrile omnino pericul eft. Verum ne decipiamur, folertiffime ad pulfum ut attenda neceffe eft; aliud enim eft, deficere vires vitales, aliud langue fenfus internos, quanquam utrumque magna comitetur debi Frigus enim cum debilitate & difficili refpiratione fociatum, in tamen pulfus magnus & frequens clariffime oftendit, fufficie quantitatem fanguinis debita celeritate a corde per arterias agi, fteriori cauffæ, fcilicet languori merito adfcribendum, multo n rem minatur perniciem (x); in putridis febribus fæpe occurrit. Eti fi febres cum exiguo calore mites audiant, fæpius tamen an latet fub herba, perniciofiffima enim non fimplici vice hæc fe evadit, in qua exiguus tantum animadvertitur calor, cum acce alia fymptomata periculofa, v. gr. magna debilitas, animi inan nes &c. in Phrenitide præfertim obvia. Obfervatio nequidem *Hippocratem* latuit (y), ficuti & altera illa: inconftantes fcilicet c ris & frigoris mutationes, deficientibus aliis fymptomatibus gravi bus, longam præfagire febrem (z). Solertiffime Febrium decu obfervatos effe ab *Hippocrate*, omnia fere ejus dicta per experien recentiorum medicorum comprobata, demonftrant. Duas ei d mus, præter iam adductas de prognofi caloris & frigoris febrilis,

fe.

tiones. Prior medicos monet, verendam esse gangrænam inter-, quoties antecedens frigus calor non insequitur (a). Altera, lore inæquali docet, parvum adesse periculum in exigua caloris um corporis discrepantia, sin vero notabilis intersit, illud immi-esse, immo summum, cum ingens sit in quibusdam partibus, i capite & pectore æstus, cum frigore particulari in extremitati-conjunctus; summo jure tunc verendæ sunt inflammationes, con-ones, aut humores putridi in primis viis effusi (b).

Hippocr. Coac. L. I. n. 22.
Idem Coac. n. 228. Lib. II. de Morb. c. 19.
Id. de Crisib. n. 8.
) Id. Lib. I. Præd. n. 61.
) Id. Coac. n. 115. Aphor. L. IV. n. 48. & n. 65. Lib. Progn. n. 46.

§. XXIV.

Pervenio nunc ad ultimam argumenti mei partem, eam scili-quæ rationem exponere debet, ad quam supradictorum sympto-um Caloris & Frigoris medelam medicus parare debet, cum ni-eorum vigor coctionem & crisin turbare minatur. Calorem um universalem & particularem, a quacunque demum proficis-caussa, coctione tantum excepta, absque periculo frangere pos-is, cum caussam illam, quæ pro maxime verosimili in quolibet ca-abetur, minuere studeamus. E. gr. Colluviem primarum viarum, icis & purgantibus remediis; Diathesin inflammatoriam, antiphlo-is, &c. in genere unamquamque caussarum a §. XVII. usque ad enumeratarum, medela illa congrua, quæ ex ipsarum indole patet. m, si calor ab ipsa coctione ortus modum excedit, & propte-præcipue in Plethoricis metuenda est Diathesis putrida, venæsec-

 ctio-

ctionem instituere fas est; sin autem impuritates primarum vi[...]
aut spasmodicæ affectiones coctionem adaugent, medicamenta [...]
nentur a medico purgantia, vel sedantia. Verum ad hoc sagax [...]
ritur cognitio virium medicatricium, quæ illis insunt, ne magi[...]
minuatur quam par est coctio, aut plane destruatur. Præsta[...]
diuturnus medicamentorum temperantium, e. gr. Nitri cum a[...]
Datur quandoque casus, in quo calor minor deprehenditur, [...]
qui pro gravitate febris coctionem peragere valeat, tolli tunc deb[...]
pedimentum, calorem minuens; difficilis autem est nisi experto M[...]
co coniectura, in quonam hoc consistat: latet sæpe in impurita[...]
primarum viarum, in genere autem in omni caussa, quæ debilit[...]
efficit. Plura sunt in Frigore moderando animadvertenda. Qu[...]
in frigore naturalem in superficie corporis deprehendimus cal[...]
vigente pulsu, quale in initiis continuarum febrium locum h[...]
nullius opus est medelæ. Verum si frigus cum maximo sensu i[...]
no coniunctum est, & ad tactum quoque sese manifestat, potum[...]
hibere possumus nonnihil calescentem; incassum autem foret, [...]
gimen calidum, frictiones, aut calefacentia suadere, nihilomi[...]
enim sentiret frigus insuperabile æger, eo intolerabiliori poste[...]
lictus æstui. Perfrigerium iteratum in febribus, antispasmodicis[...]
roborantibus tolli debet remediis, oritur enim ab insultu spasm[...]
co, vel debilitate. Frigus validum, maxima cum debilitate con[...]
ctum, mortiferam producere potest stasin, fortiora igitur requi[...]
tur medicamenta, Potus calidi, Camphora, Sinapismi, Vesicat[...]
Frigus particulare extremitatum, ex defectu affluxus sanguinis [...]
congestione ad partes vitales ortum, in Plethoricis venæsectionen[...]

; frequens eſſe ſolet in inflammatione pulmonum; verum, ſi
; extremitatum ab affectionibus ſpaſmodicis provenit, ſuaden-
nt balnea tepida, & frictiones; immo in validiſſimo artuum
:, ſi inflammationum aut ſtaſium nulla apparet ſuſpicio, cautus
veſicatoriorum uſus haud erit incongruus.

